Q. D. B. V.

DE

LIBERTINISMO

IN PRIMIS

SCHOLASTICO

NONNULLA DISSERENS,

AD

SOLEMNIA

GYMNASII ELBINGENSIS

ÆSTIVA

D. XI. SEPT. A. O. R. MDCCXLIX.

HORIS A' IX. MATUTINIS

CELEBRANDA,

MAGNIFICOS ET AMPLISSIMOS

URBIS PROCERES,

CETEROSQUE

MUSARUM PATRONOS,

QUANTO FAS EST OBSERVANTIÆ CULTU,

QUAM OFFICIOSISSIME INVITAT

JOANNES LANGIUS,

ATH. RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGÆ.

PRÆLO PREUSSIANO.

Ea aureæ libertatis natura eſt, ut vel ipſum dulciſſimum mellitumque boni hujus inæſtimabilis nomen animum mentemque hominis ſua rapiat dulcedine & mirum quantum delectet. Diogenes hinc interrogatus olim: quid eſſet in omni vita optimum, quid præſtantiſſimum? reſpondit: libertas. Hæc enim ſemel amiſſa, non facile recuperatur. a) Mirum itaque non eſt, florentiſſimas omnium temporum nationes atque civitates in acquirenda non minus quam tuenda libertatis dignitate nihil inauſum, intactum nihil reliquiſſe, proque illa, neglectis omnibus divitiarum & honorum theſauris non ſecus ac pro aris & focis ſemper pugnaſſe. Aethiopes enim, Arabes, Spartanos, aliosque ex veteribus, ne quid de rebus publicis, virtutis ac opulentiæ fama noſtro ævo celeberrimis dicam, mori potius ac peſſum ire, quam libertate amiſſa ſub imperium ditionemque alterius pervenire maluiſſe, hiſtoriarum docent annales.

Quamvis vero libertatis adeo omnibus innata ſit cupido, ut illam niſi cum vita amittere optent; ea tamen in depravata natura, veluti in ſolo aliquo vitioſo in arrogantiam ſæpe, & quid quod in licentiam ita degenerat, ut mortalium plurimi regere potius quam regi & regia illa de amore, obedientia atque diligentia lege rejecta

a) *Laert. Lib. VI.*

ſui juris, ſuique arbitrii eſſe, ac vitam omni tam divinorum quam humanorum præceptorum vinculo ſolutam agere cupiant. Hanc hominum conditionem, immunem ab omni obligatione & novaturiendi ſtudium affectantem, libertinismi accuſare crimine, quid vetat, qui quo magis obedientiæ & ordinis tollendi ſemina ſternit, & ab illo, quod pium juſtumque eſt, avocat, eo magis atro notandus eſt carbone.

Quodſi rerum eccleſiaſticarum rationem paulo accuratius penſitamus, periculoſiſſimus & circa puriorem chriſtianismi doctrinam & cærimonias circa ritusque menti ſe noſtræ offert libertinismus. Civibus quippe œconomiæ V. T. ne genio ſuo nimis indulgerent, ſed legum cancellis circumſepti libertatis abuſum evitarent, illud ſcriptum erat: habent Moſen & Prophetas, eos audiant; & in N. fœderis intervallo Meſſias, dulciſſimus ſalutis recuperandæ nuntius, divinæ cognitionis ac ſapientiæ theſauros hominibus recludens, nihil ſilentii peplo involvit, quod ſcitu credituque eſſet neceſſarium, quo qui ad chriſtianorum caſtra tranſierunt, liberati quidem ab omni legis maledictione, legi tamen Spiritus & libertatis filiorum DEI parerent. Aſt quæ quantaque libertinorum nubes in Eccleſia deprehenditur! Hoc enim nomine non illi modo ſe dignos reddiderunt, qui atheismi vel epicureismi crimine ſuſpecti, imperium DEI in mortalium genus una cum Ipſius exiſtentia in dubium vocantes, omnem Numinis ſenſum hominum pectoribus excuſſum cupiunt, ſed empæctæ quoque & heterodoxi, qui in propagandis opinionibus & commendandis moribus ſuis cogitandi, credendi, vivendique libertate quam maxime abutuntur. Haud exigua vero libertinismo intercedit cognatio & affinitas cum indifferentismo religionum. b) Quippe cui e contemtu veritatis ac intempeſtivo charitatis, pacisque ſtudio vel etiam nimio chriſtianæ libertatis abuſu promiſcue omnis arridet religio, ille immoderata quadam fertur

b) Vid. *Wernsdorffii* diſſert. I. *de indiff. relig.* §. 17. 18. & *Fechti Theol. indiffer.* c. II. §. 2.

fertur licentia de rebus, ad religionem pertinentibus, pro lubitu & ex arbitrio suo statuendi. Exemplum sisto Antonium Collinum, hominem infestandæ Ecclesiæ & corrumpendis christianismi dogmatibus natum, promachum nefariæ sectæ, quæ quia libertinismum profitebatur, Anglis Free-thinking, nobis vero Freydencker & alio nomine Freygeister appellari consvevit, & Bentlejos, Hoadlios, Pfaffios, aliosque contradicentes & oppugnatores quondam habuit felicissimos. c) Sed addo huic, præter ceteros, quos addere exiguum chartæ spatium vetat, famigeratissimum libereque sentientem Jo. Christ. Edelmann, qui sua disseminando religionis dogmata, se nimis libertinismo theologico deditum esse quam evidentissime prodidit, ab Harenbergio, Wagnero, Meiero, aliisque satis explosus.

Ast status politicus æque suum ac ecclesiasticus habet libertinismum. Summos quidem Imperantes, ad regnorum gubernacula divina admotos providentia, legibus humanis non teneri, quia potestati humanæ subjecti sunt nulli, in apricum est positum. Interim obligantur præceptis divinis, cum sint homines, imperio DEI obnoxii; obligantur etiam pactis conventisque, quæ sunt servanda; imo obligantur ex capite prudentiæ legibus suis, quas ipsi a civibus accurate observari cupiunt, secundum illud ab Ausonio divinitus dictum: Pareto legi, quisquis legem sanxeris. d) Quippe ad movendos animos & ad obsequium legibus præstandum inducendos nihil est æque efficax ac Superiorum exemplum. Vitam enim Principis censuram h. e. legem loquentem, eamque perpetuam, ad quam dirigimur, ad quam convertimur, quam affabre vocavit Plinius. e) Quodsi itaque in clara reipubl. luce & in oculis omnium constituti, justi ac honesti frenum mordere & ad ingenium

c) vid. *Heimanni hist. Atheismi.* p. 459. *Buddeus de Ath.* c. I. §. 5. p. 10. *Ejusd. diss. de libertate cogitandi in Syntagm. diss. alt.* p. 323. ad. Lilienthals *theologische* Bibl. des 2ten Th. 3 St. p. 295.

d) in *Pytaci sententiis.*

e) in *Pan.* c. LVI.

nium ac arbitrium ſuum redeuntes, obſequium LL. divinis pactisque præſtandum exuere ſtudent, quid quæſo hac re aliud, quam libertinismi amorem produnt Superiores. Quod vero ad cives atque ſubditos, illi vix facili cervice ac æquo animo jugum ſubire ſolent. Nonne, qui animo hoſtili erga Imperantes & Magiſtratum induto, poteſtatem Superiorum majeſtaticam imminuere ac regiminis formam tam monarchicam quam ariſtocraticam omni ſtudio, omnique ardore funditus evertere allaborant, libertinismi, obedientiam legibus recuſantis, ſuſpicionem injiciunt? Cujus vel evidentiſſima criteria in legum ac Magiſtratuum contemtu, juſtorum tributorum denegatione, murmurationibus, factionibus, ſeditionibus, tumultibus, aliave ratione latere, facilis eſt conjectura. Credas omnino tot in ſtatu civili inveniri libertinos, quot monarchomachi, quot ariſtocratomachi in republica noſtro ſemet offerunt obtutui. Hinc Georgium Buchananum Scotum, perſonatum illum Stephanum Junium Brutum, Joannem Bucherium, Franciſcum Hottomannum, aliosque monarchomachos de libertinismi ſtudio nulla unquam abſolvet poſteritas. f) Nunquam vero libertinismi ſpiritus, ſumma imis confundens, majores tumultus, majoresque motus excitaſſe videtur, quam ætate noſtra, ubi in Batavia, Helvetia, aliisque libertatis antiquæ ſedibus, multi pietate in Magiſtratum damnata, in libertinorum caſtra deſcendere maluerunt, quam in pervetuſta regiminis forma acquieſcere & Superiorum mandatis facere ſatis. Hac vero ratione, quam multo ſangvine, multisque ſumtibus pepererunt Majores, libertatem poſteri, tanti boni pertæſi, perditum ire allaborant.

Verum enim vero ad illud me potius converto, quod caput cauſæ eſt, libertinismi ſcil. ſcholaſtici contemplationem. Quem mihi ad animum revocanti, non ea hoc nomine libertinorum venit,

Syna-

f) Conf. *Buddei hiſt. J. N. quæ in ſelectis J. N. & G. extat.* §. 52. p. 77. &c. *Jac. Thomaſius in obſ. hall. Tom. VI.* obſ. I. *de hiſt. ſecta Machiav. & Monarch.* §. 6. *Schuberti Phil. Pr.* c. VIII. §. 2077. 2078.

Synagoga, quæ cum ceteris contra Stephanum inſurgens, g) Harduino, Altingio, Grotio, aliisque artis criticæ Magiſtris eruditiſſimum comparavit negotium, h) ſed illum potius ſcholarum ſtatum, illamque ſcholaſticorum innuo conditionem, qua in educanda juventute & aperiendo ludo ſub libertatis prætextu piorum circa rem litterariam deſideriorum augetur multitudo.

Scholis omnino maxima ineſt libertas. Florent in illis artes ingenuæ & ſtudia liberalia, quæ homine libero digna, cultores ſuos in libertatem ſive civilem a ſervitute, ſive moralem a vitiis vindicant & ad prudentiam ac officia formant benevolentiſſima. i) Florent in illis ingenia ingenua & pectora liberalia, non ad ſervitutem & ſubjectionem, ſed nobilem illam immunitatem nata, qua verbis non verberibus, ratione non caſtigatione ad illum vitæ & ſtudiorum ſe conferunt tenorem, quem ipſi eligere lubentiſſime cupiunt, non coguntur. Florent in illis libertates, immunitates ac privilegia ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, aliisque Muſarum Nutritoribus eis conceſſa, qui in litterarum præſtantia ac dignitate ſuum quærunt otium, delicias ſuas.

Quem vero fugit, libertatem quoque ſcholaſticam libertinismum habere comitem. Fidiſſimus ſane doctrinæ Achates pietatem, gratam DEO & Parentibus amicam, jam cum lacte materno & primis litterarum elementis, juvenum animis inſtillare allaborat, qua auxiliante felicem rerum ſuarum exitum ſibi promittere poſſunt. Aſt quotus quæſo quisque diſcentium ſua ſponte a DEO capit ſtudiorum, laborum & exercitationum primordia. Notum licet omnibus ſit θρυλλούμενον illud: dimidium facti rite precatus habet; multi tamen vel invita Minerva & illotis ut ajunt manibus, vel bonis naturæ ingeniique dotibus freti absque Numinis altiſſimi invocatione ſtudiis ſe tradunt haud ſecus ac ſi ſcholarum alumni ab omni pietatis non fucatæ exercitio prorſus liberi ſint.

Eadem

g) Act. VI, 9.

h) vid. *Deylingii obſ. ſacr.* P. II. obſ. XXXV. p. 437. &c.

i) conf. *Budeus de ſtud. litt. inſtit. apud Crenium in tr. de educatione litteraria.* p. 6. 7.

Eadem eſt & diligentiæ & morum in ſcholis conditio, quibus tironem nihil magis ornat, decet nihil. Quantum enim in humanitate, reverentia, aliisque virtutum ſtudiis lateat boni, quantum commodi, Ethices præcepta & vitæ honeſte inſtituendæ ratio docent. Cur vero non ex quovis ligno Mercurium, doctrina & moribus excellentem, omni cura, omnique admonitione ſua ſcholarum Magiſter fabricari poteſt? Cur alii juventutis ſcholaſticæ, omni nobilitatis ſtudio exuto, humi potius repere & ſervilia præſtare officia ſtudent; alii contra nimiæ exiſtimationis præjudicio capti peſtifero φιλαυτίας errori nullos ſtatuere terminos ſatagunt? Cur alii nomen quidem Studioſorum præ ſe ferunt, inter ſtudia vero vel nullum, vel breviſſimum ſaltem temporis ſpatium conſumunt? Quales illi ſunt, qui apud Plinium ad audiendum pigre, lente, cunctanterque veniunt, nec tamen permanent, ſed ante finem recedunt vel diſſimulanter & furtim vel ſimpliciter & libere. k) Cur denique alii adhibito in litterarum campo diſcrimine, non omnia exercitia ſcholaſtica, ſed illa ſaltem, quæ vel ad politioris vitæ habitum vel ad commodum & utilitatem vel ad animi recreationem & delectationem pertinent, in votis habent ac deſideriis? Nonne hæc omnia ex libertinismi ſtudio promanare videntur?

Adhæc libertinismum olet, ſi juventus ſcholaſtica, quæ in ſenioribus animadvertit, per ætatem ipſi minime convenientia, ad imitandum ſibi proponit: ſi illa abſente Præceptore, ac ſi Numen divinum præſens eſſet nullum, probitatis, modeſtiæ & diligentiæ exercendæ loco ſtrepitus, rixas & contentiones ſuſcipit: ſi voluntate Parentum, Patronorum & cujuscunque nominis ſunt, ceterorum conſenſu, ad aliud vitæ genus aut ad Academias, tanquam altiora Muſarum domicilia nimia feſtinatione ſæpius abitura, vel nulla vel proletaria ſaltem grati animi ſignificatione Doctorum ſuorum ſtudium ac laborem agnoſcit; imo pro ingentibus & maxime ſalutiferis

k) in ep. XIII. L. I.

tiferis beneficiis e ſchola deportatis, Magiſtros ſuos contemtu, vilipendio, aliisque malis præmii loco adficere audet.

Quodſi porro diſciplinæ ſcholaſticæ temperamentum attendimus, quæ omnem & corporis ſtatum & mentis habitum reddit compoſitum, ejus omnino neceſſitatem arguunt ætatis juvenilis impotentia, licentiæ vis, conſultorum improbitas, ſolemnia nequitiæ patrocinia, moresque auditorum, ad voluntatem DEI & Superiorum componendi. l) Salva enim in ſcholis diſciplina, ſalva quoque ſcientiarum eſt dignitas, Præceptorum auctoritas, juventutis ſalus; qua vero ſublata, tollitur omnis ordo, omnisque vitæ ſcholaſticæ anima. Audias hinc in divinis litteris de diſciplina exercenda Spiritus Sancti præcepta, dicentis: Noli ſubtrahere a puero diſciplinam. Curva cervicem ejus in juventute. Stultitia colligata eſt in corde pueri & virga diſciplinæ eradicabit eam. m) Sicuti vero ſubditorum nonnulli Magiſtratum, ſalutis publicæ gubernaculis ſine faſcibus & ſecuribus admotum potius videre cupiunt, quam eum, cui poteſtas puniendi malos cum jure vitæ & necis commiſſa eſt, ita juvenes ſæpius ſcholaſtici, eorumque Parentes de Magiſtri caſtigantis injuria conqueſti, nec verba nec verbera, liberius vitia damnantia, vitioſosque revocantia ad frugem, ſuſtinere volunt. Recte hinc & ſapienter Jacobus Pontanus: Quodſi, inquit, diſciplina hoc ſæculo valeret, melius forſitan ageretur cum republica: tam perditam ac rebellem juventutem non haberemus, nec tot facineroſi ac peſtiferi cives exiſterent. n) Quid vero in cauſa eſt, cur diſciplinæ impedimenta & reipubl. offenſiones, ætati ac licentiæ juvenili ſub falſiſſimo libertatis nomine lenocinantes offeruntur? Nihil niſi libertinismus.

Sed novum libertinorum genus in ipſo Docentium cœtu mihi occurrit. Pii quidem bonarum artium morumque Magiſtri, quorum curæ cordique commiſſa eſt patriæ proles, futurus populus, ad amuſ-

l) conf. *Vockerodtii de litterarum ſtudiis conſult.* XX. p. 376.

m) Prov. XXIII, 13. XIII, 24. Sir. XXX, 12. XXII, 15.

n) L. I. *Progymn.* L. VIII.

amussim voluntatis divinæ & conscientiæ tam dicta quam facta sua applicantes, non monitis saltem & regulis salutaribus, sed vita ipsa & exemplis honestissimis a vitiorum & licentiæ deviis auditores revocare student. Sentiunt enim Livii verba quasi ex tripode prolata, veritatis talo maxime niti, contendentis: si quid inferiori injungere velis, id prius in te ac tuos si ipse juris statueris, facilius omnes habeas obedientes. o) Ast verendum est, ne & in pulvere scholastico ejusmodi inveniantur Hodogetæ, qui damnata omni subordinatione, omnique in tradendis scientiis ordine sublato, vel Superioris monita pati recusant, vel conamina scholastica pro libertate & utilitate sua instituere allaborant. Hi vero, quo magis genio ac desiderio suo indulgent, eo magis libertinismi se suspectos reddunt & fidei suæ commissis, hæc facile observantibus, ansam præbent, majori studio, majorique nisu licentiæ, libertatis nimiæ patrocinandi.

Hanc libertinismi indolem, quæ angustos inter scholarum cancellos observatur, ex depravata hominis natura juxta ac perversa temporum & vivendi ratione, locorum illecebris, educatione domestica, conversatione cum malis, adflictionibus publicis, aliisque causis suum & sangvinem & vitam capere non adjiciam, sed illud saltem addam, Medici instar, corpus ægratum sanantis præstare: unde media mali hujus curandi petenda sint? omni cura omnique labore indagare. Quodsi amor, timorque Numinis altissimi purus scholasticorum impleret animum, omniumque spiritus per sangvinem fœderis ab omni iniquitate ac malo liber esset factus consilio, non haberemus, cur de libertinismo scholastico querelam ageremus. Cum ita vero a natura comparatum sit, ut vitium virtutis & licentia libertatis locum occupet, ad divinam legum auctoritatem tanquam ad sacram ancoram, in tuenda conservandaque rerum æquitate fugiendum esse, ambabus ut ajunt manibus concedet omnis. Lex enim, valore & pondere divino armata, civili societate idem præstat,

o) Lib. XXVI. c. 36.

 37.

ſtat, quod in corpore humano mens efficit. Quippe iter facienti omnia indicat vel fugienda vel amplectenda, & lucernæ inſtar in tenebris oberranti periculoſiſſimos libertinismi ſcopulos ſyrtesque, cane pejus & angve vitandas indicat. Eſt civium in Magiſtratum, liberorum in Parentes, in Docentes diſcipulorum obedientia neceſſaria; quæ vero lege remota funditus evertitur. Eſt ingeniis liberalibus, in artes humaniores incumbentibus, libertas conceſſa: leges valere jube & hæc deſideratur, imo triumphum aget libertinismus.

Prædicamus merito gratiam DEI T. O. M. faventis adhuc huic artium liberalium ſedi, reddentisque pro immenſo in nos favore illud tempus, quo ſolemni ritu moreque a Majoribus laudabiliter tradito claſſes Gymnaſii luſtrari, diſcentiumque mores inſpectari, ante omnia vero leges Seminario patrio conceſſae prælegi ſolent. Cui ſolemnitati anniverſariæ ſuo & ſtudio & eruditione pereximia non deerit PRÆCLARISSIMUS DOCTISSIMUSque DN. JO. DAN. HOFFMANN, GYMN. CONR. & P. P. FIDELISSIMUS, COLLEGA NOSTER HONORATISSIMUS, *Pruſſiam mercatura & artibus cultiorem* in actu oratorio vivis ut ajunt coloribus delineaturus. Faveat modo Numen illud benigniſſimum ſanctiſſimo huic muneri, regatque Spiritu ſuo omnium eo fungentium conatus & conſilia!

Noſtrum vero eſt, MAGNIFICUM & AMPLISSIMUM URBIS MAGISTRATUM, PATRIÆ PATRES, ſubmiſſæ mentis cultu proſequendos, nec non EXCELLENTISSIMOS, PLURIMUM REVERENDOS, CLARISSIMOS, PRÆNOBILES, NOBILES, SPECTABILES O. O. PATRONOS & MUSARUM FAUTORES HONORATISSIMOS, qua par eſt obſervantia & humanitate rogare, ut quod ſemper fecere, nunc quoque voluntatem ſuam gratioſiſſimam erga præclaras litteras, erga leges ſuas, erga hanc pietatis ſedem, bonarum artium officinam & Reipublicæ ac Eccleſiæ commodiſſimum Seminarium tam ſponte ſua, quam noſtris precibus permoti declarare, omnesque ſcholæ hujus cives præſentia ſua honorifica & auctoritate non minus paterna quam legali ab omni

pror-

prorſus libertatis abuſu avocare & ad novam diligentiam ſollicitamque LL obſervantiam excitare non dedignentur.

Quem MUSAGETARUM ætatem usque devenerandorum in artes liberales favorem publicis evehere laudibus & PATRONIS tantas pro præſentia SUA gratioſiſſima agere gratias, quantas ILLI, quantas ILLORUM in nos propenſio merentur, dignum omnino judicamus, prævia brevi oratione demonſtraturi, *culturam ingeniorum ad ſæculi genium accommodandam eſſe.* Quod reliquum eſt, humili ac ſupplici poplite Numen precamur immortale,

DRUSORUM PATRIÆ ut ſemper TEMPLOque, SCHOLÆque
aurea libertas conſtet & alma quies.

P. P. d. X. Sept. A. P. C. N. MDCCXLIX.